

ROSSET (Pietro)

PRATUM (534 vers)

Le texte présenté ici a été établi à partir de l'édition publiée à Paris, chez Josse Bade, en 1515.

AD EXCELLENTISSIMUM ATQUE ILLUSTRISSIMUM FRANCIAE CANCELLARIUM

ANTONIUM A PRATO *

* Antoine Duprat, chancelier.

PRATUM.

v.1 Antoni, tua gesta mihi per saecula cantu
 2 illustrare libet laudesque extendere fama
 3 aeterna ; sed res animum non parva fatigat,
 4 atque ingens adeo tua vis exorsa moratur,
 5 ut sinat exiguo dici non cuncta paratu.
 6 Quaedam igitur levioire sequi pro tempore nixu
 7 accingor, magno post ore canam, optima quaeque
 8 sufficiet condenda novis cum viribus aevum.
 9 Promere quantus eris non sors incerta vetabit,
 10 quae vidit (neque enim fallor) semperque videbit
 11 te magis illustrem, cui factis altius ire
 12 egregiis licuit nomenque extollere caelo,
 13 et partum virtute decus traducere in arcem.
 14 Hactenus ascensum fuit ad fastigia demum
 15 perventum est, tuus in tantum favor omnibus ultro
 16 consulit, ut penitus cuiquam sua jura tueri
 17 te sine nequicquam datur atque arcere ruinas
 18 et mulcere graves extincto Marte tumultus.
 19 Fas tibi luce frui, nec adhuc tellure relictas
 20 astra petas : satis est caelum sperare merendo,

21 te majora manent, meritis lux praemia reddet
 22 longior aucta tuis palmamque in fine reponet.
 23 In melius versis procedent foedera saeculis ;
 24 Europa ante alias usum tua sentiet omnes,
 25 terrarum pelagique plagas ditione tenebit
 26 successu exsultans superisque aequabit honores.
 27 Pax hominum laetis (mea sunt praesagia) rebus
 28 incrementa feret ; terras astraeva reviset,
 29 Martis amor scelerumque lues invisita peribit,
 30 omne nefas tandem atque injuria desinet omnis.
 31 Vos quibus est studium causas aperire latentes
 32 nunc agite, o vatium praesentia numina, coeptis
 33 aspirate deae, atque animos accendite cantu.
 34 Angustum per iter caecis e faucibus alta
 35 ingentem rapio mecum rumore secundo
 36 ad juga vestra virum, magni quo sospite reges
 37 jure valent et vester honor protenditur astris ;
 38 ille fovet pacem atque incerta pericula tollit.
 39 Gallorumque facit vulgo increbrescere nomen.
 40 Consiliisque homines et legibus adjuvat aequis
 41 censuraque premit nostro nec inutilis orbi
 42 nec caelo indignus superam venturus in arcem.
 43 Mergite nunc igitur (mea jam calor excitat orsa)
 44 et fama celebrate novas per saecula laudes.
 45 Tres hominum pestes quondam percurrere tractus
 46 impulit aethereos Stygii dux impius Orci,
 47 dum terris augere metum morbosque necemque
 48 et bellum parat, ac scelerum superaddere vires
 49 funestisque atrum lacrimis iterare laborem.
 50 Corruerat vulgo taedisque exarserat orbis
 51 Eumenidum dederatque novum nova flamma furorem,
 52 quas dirae potuere plagas secuere cruentis
 53 caedibus, atque arce a stabili fudere penates
 54 (invidet usque bonis adeo ut dispendia nostra,
 55 Dis petat infelix) rabiemque dedere nocendi.
 56 In tantum nullus furialibus obstitit armis
 57 in pejus cui non iterumque iterumque moveri
 58 contigerit, nec eum in melius potuisse referri :
 59 mens equidem nulli sana est quam laesit Erinnyes.
 60 Funereas arcere faces Antonius ingens
 61 Eumenidum, a Prato cui nunc cognomen et artes
 62 fallendi varias et semina mille laborum,
 63 atque Erebi potuit solus pervincere monstra.

64 Incassumque graves Furiis jactantibus hydros
 65 innumera ad laetos inter discrimina portus
 66 successum evexit summoque in vertice fixit.
 67 Usque revertentem sicut non conterit herbam
 68 fecundo in Prato, latos inimica per agros,
 69 cum segetem et poma atque uvas aquilone coacta
 70 stravit hiems late : gemuit Liberque Ceresque,
 71 laetaturque Pales superant cum pascua prato.
 72 Ut constare virum certaue in sede morari
 73 insidiisque obstare vident, et vincere monstra.
 74 Tres noctis, genus infandum, sine more Sorores
 75 ardescunt subito curaue iraque coquuntur ;
 76 colligit ad caedem una rogos tenuesque per auras
 77 ob res egregie gestas vomit altera virus,
 78 atque alia infestis crines exasperat hydris.
 79 Eminent Arvernus Pratum memorabile lymphis
 80 perpetuis lautum et laetis exuberat herbis,
 81 arboribusque novis rapidumque exstinguitur umbra
 82 solstitium et zephyri spirantis mollius aura,
 83 nec boreas saevit, tolluntque cacumina colles
 84 vitiferi circum et caelo monstrantur aperto :
 85 non etenim Elysiis melius componere nymphas
 86 Hesperidumve hortis credas potuisse penates.
 87 In medio flores inter per amoena vireta
 88 vertice nata Jovis Pallas sine matre sedebat
 89 aegidaque, atque hastam et clipeum cum Gorgone portans.
 90 A laeva juxta est ingens grave olentibus undis
 91 silva horrens dumisque et rupibus intus opaca
 92 muscosis, multique latent in sentibus angues.
 93 Hic specus ad manes horrendum extenditur imos
 94 Titanos jubar et faciem indignatur Olympi,
 95 limen inaccessum haud oculis spectabile nostris
 96 infernis canibus cultum et pallentibus umbris ;
 97 saepius infandae pestes in faucibus antri
 98 hic agitant qua sit mortalibus arte nocendum.
 99 Huc ergo infensae (veris si rumor inhaeret)
 100 conveniunt caecaue diem caligine volvunt,
 101 acrius haec loca portentis praesentibus horrent,
 102 et faciem ostendunt Stygiis quae cernitur umbris.
 103 Excitat ingenti saevas clamore sorores
 104 Alecto, diris oritur cum vocibus horror.
 105 "Heu miserae licuit frustra exercere laborem ?
 106 Et Stygia humanis concurrere numina rebus ?

107 Solo nostra hominum nutu rata fata moveri ?
 108 Nunc huc nunc illuc propere volvi atque revolvi ?
 109 Deficiunt artes rerum pervertitur ordo,
 110 corrui antiquum robur superavimus omnes
 111 queis orbem superare datum est et vincere monstra,
 112 cunctorum intrepidus domitor furialibus armis
 113 Alcides domitus cara cum prole parentem,
 114 et moechum matremque neci demisit Orestes
 115 unius Aeolides nati jam sanguine fuso
 116 lapsuram scopulo sequitur cum pignore matrem.
 117 Funereas quid ferre faces, quid profuit hydros
 118 et versare dolos odiisque incendere corda ?
 119 Quae nequit insidiis verti vis unius ingens
 120 tollitur ad summum, atque iterat sine fine laborem,
 121 inde animum turbat cura que iraque fatigat.
 122 O labor, o maeror, potuit quas vincere nemo
 123 qui modo vincat adest et tela inimica repellat.
 124 Nec solitas trepidare deas senrire timorem
 125 insuetum (non corda pavor quatit Infera) cogit
 126 sed quid ego incassum ? Casus meminisse molestum est,
 127 quando arcere licet, miserum est retinere dolorem :
 128 vos agedum, nova nunc monstris superaddite monstra
 129 et varias fallendi atques et crimina caedis,
 130 innumerasque decet vulgo producere formas,
 131 immo triste latet si quid dictuque nefandum
 132 obtutuque novum quod nodum exhorruit aether
 133 nec Stygiae peperere plagae, mortalia turbet
 134 ingentesque atris moveat terroribus urbes,
 135 quandoquidem indomiti constantia pectoris instat,
 136 non secus ipsa viri virtus aut inclita factis
 137 fama ruet, nobis certandum est omnibus una
 138 vincere si liceat, vires ad bella coactae
 139 praestant de dubiis si qua est sententia rebus
 140 nunc melior, pateat, diro quae consulat Orco
 141 invisio capiti insultans atque omnia vertat."
 142 Sic fata est gestuque odium testatur iniquo
 143 multiplicans post dicta minas atque atra cerastas
 144 erigit obliquisque oculis vultuque maligno
 145 horrorem ingeminat rapidoque obmurmurat ore.
 146 Haud secus ac rabiem tectis expromit opacis
 147 inclusus canis, ad limen dum forte viator
 148 ignotus graditur gladiosque immittit hiantem
 149 per rimam irritans ; at dentibus ille relectis

150 personat horrendum foribusque essique resistit.
 151 Talibus extemplo furiosa mente Megaera
 152 reddidit haec variis complens mugitibus antrum.
 153 "Quid, misera o soror, incassum memorare necesse est,
 154 quod minime prosit ? Durum est tolerare laborem
 155 assiduum curasque truces saevumque dolorem
 156 plurimus est sermo factorum expertibus, an tot
 157 rem dictis agitare unam licet ? Est leve fari
 158 at grave perficere ; indomitis pro tempore fatis
 159 parendum, miserae jam siquid inivimus olim
 160 quod numquam peragi queat, ultro linquere praestat :
 161 id fieri fas est quod fors sinit : otia nobis
 162 quaerantur, toties ne nos labor iste fatiget.
 163 Quis famam referet laudesque atque ardua gesta,
 164 virtutemque viri, nullis quem viribus Orcus
 165 flectere ab incoepto aut in pejus pellere possit ?
 166 Nunc qualis fuerit primis et quantus ab annis
 167 expediam, ut saevus curis dolor additus absit.
 168 Hunc primum vidit felicior hora benigno
 169 sidere nascentem et certis per saecula fatis
 170 firmarunt Parcae et factis cecinere perennem,
 171 quem fovit docuitque ingentique arte Minerva
 172 reddidit insignem et clipeo protexit alumnum
 173 usque novos animo sensus sine fine reponens
 174 jure hominum mores retinere et legibus urbes
 175 regnorumque modum, et cursum cognoscere vitae
 176 ut liceat, monuit pacemque imponere rebus
 177 justitiamque sequi, nullam superesse putetis
 178 ingenuam penitus quam non suggesserit artem
 179 illa viro, rerum reserans arcana novarum.
 180 Jam mores hominum puer externasque tueri
 181 terrarum statuit sedes imitatus Ulysses
 182 qui variam gentem diversaque moenia vidit ;
 183 Cyclopum genus et Syrtes expertus acerbas
 184 altius ut saperet sortemque arceret iniquam,
 185 tot terris late aerumna perpessus et alto.
 186 Galligenum cupidus vulgo (non fluxerat aetas
 187 bisquina) incoluit claras Antonius urbes,
 188 eloquio linguam primisque explevit acutum
 189 artibus ingenium cultu leviore retentus.
 190 Praeterea utilius quicquid queat esse volutans
 191 erexit mentem studia ad graviora vocatus,
 192 longinquosque locos atque extera quaerere regna

193 et certum fuit externos habitare penates,
 194 mox citus ire parat Francisque emissus ab oris
 195 tendit iter superatque Alpina cacumina gressu
 196 et semper juga cana nive atque asperrima ventis.
 197 Tum grege fecundam armentisque atque ubere glebae
 198 Insubriam petit ignotisque allabitur oris.
 199 Fortibus urbs muris speciosa et moenibus altis
 200 eminent : ipsa recens fecit nova saepius aetas
 201 nomina, Ticinum melius dixere vetusti,
 202 nomen ab urbe ferens fluxu spatiatum aquarum
 203 Ticinus juxta, validas ubi milite fudit
 204 Aeneadum turmas elapso consule Poenus.
 205 Artibus hic mentem excoluit melioribus heros
 206 ante alios pietate animoque insignis abunde,
 207 utile nil linquens, studium aspernatus inane,
 208 et qualis quantusque foret, quantumque daturus
 209 auxilium et quantam metui mortalibus aegris
 210 ferret opem praesens, oculis dum forte sinistris
 211 indolis indicium tantique exordia recti
 212 successusque novos atque incrementa viderem
 213 intremui crevitque pavor praecordia circum.
 214 Qua cadere ante diem posset, mihi tanta cupido
 215 scire fuit fatis contraria fata petenti,
 216 hunc contra clipeo tectum et Tritonidis hasta
 217 Germanas acies, atque aspera proelia movi ;
 218 qui meliora sequens tecto dum laetus opaco
 219 protinus astartet rapidis Germanicus armis.
 220 Aestuat ecce furor congestoque agmine circum
 221 impletur locus et telis evellitur ipsa
 222 janua, mox valido socios Antonius ore
 223 praesentis medio affatur discrimine leti :
 224 "O socii quae sint objecta pericula nobis
 225 cernitis. Optatam si non fortuna salutem
 226 afferat, ire licet contra : ipse tuebitur omnes
 227 insontes deus et motus pervertet iniquos."
 228 Sic memorat, telisque fores instructus ad imas
 229 labitur intrepidoque exterruit agmina vultu
 230 et pellit procul, atque immenso turbide miscet,
 231 ut leo, quem Libycis incensum saltibus egit
 232 venantum manus, obsessus nova robora reddit.
 233 Qua densam late videt increbrescere turbam,
 234 irruit ingentemque viam formidine pandit.
 235 Tristius esse potest monstrum et crudelius omen ?

236 Ense perire gravi vel raptis omnibus unus
 237 Ipse capi sociis nequit, atque in vincula duci ;
 238 non impune tamen robusto elapsus ab hoste
 239 vulnera crure tulit tria. Mox ope laetior ultro
 240 Paeonia valuit viresque in membra recepit
 241 Palladis auxilio ; gelidas Insubribus Alpes
 242 desertis superans longo post tempore cursu
 243 jam Francas natale solum remeavit ad oras.
 244 Ejus in adventu (crucior meminisse dolorem)
 245 venturi speciem producere Gallica vidi
 246 regna boni sortisque auram monstrare futurae.
 247 Inde magistratus numerosis urbibus omnes
 248 altius ascendens certo simul ordine gessit
 249 consiliisque hominum coetus, et legibus aequis
 250 instituit vulgo rectoque examine pressit
 251 justitia insignis, tantum non ipse Lacaenis
 252 consultus fatis potuit prodesse Lycurgus
 253 Thesidisque Solon Graios qui legibus ambo
 254 fundarunt vitaeque modum docuere salubrem.
 255 Gallorum rector bello Lodoicus et armis
 256 inclytus et terris late dominatus et alto
 257 ire virum ad magni legatum Caesaris aulam
 258 optavit, litesque novas componere jussit
 259 qui vigili properans partes absolvere cura
 260 eloquio proceres, atque in sua vota reduxit
 261 Regem Romanum, et rebus jam rite peractis
 262 Francica regna petit rursus pacemque reportat.
 263 Nunc retinere tui fastigia summa senatus
 264 hunc primum gaudes meliore Lutetia voto
 265 res summas tractantem et genti jura ferentem.
 266 Spe tollit Gallos et pulsa foedere certo
 267 seditione fovet causasque explodit iniquas ;
 268 commotum nec tanta forum discordia turbat,
 269 curia lite vacat, retinet sua jura senatus :
 270 tempore si longo superet, pacabitur orbis
 271 terrarum, ut video, et venient Saturnia rursus
 272 saecula fecundosque ferent mortalibus usus,
 273 in melius versis procedent foedera saeculis
 274 atque iterum viset terras Astraea jacentes ;
 275 Martis amor scelerumque lues invisita peribit,
 276 omne nefas tandem atque injuria desinet omnis
 277 quid memorem ? Obstantem nobis et tela ferentem
 278 Pallada virtutemque viri, et praesentia caeli

279 sidera formido et magnae praesagia sortis,
 280 indomitas vires quas non superavimus ante
 281 novimus expertae, jacuit labor irritus omnis ;
 282 ullane emergit nunc spes : quid pergere fas est ?
 283 Vertere quis retro attentat, vel sistere Tibrim ?
 284 Qui mutare vias nequit, aut majore teneri
 285 objice, dum proprio numquam discedit ab alveo,
 286 ast inter labens ripam spatiatur utramque.
 287 Sunt alii insidiis opera levioere petendi
 288 eveniat quod fata ferant : cruciabimur atra
 289 invidia solum et laetos spectabimus hircis
 290 successus oculis vanaque ardebimus ira."
 291 Talia fundebat felicibus invida factis
 292 miscebatque polum obtutu torvisque sinistra
 293 anguibus horrebat quatiens caput : ocus inde
 294 ardet ab humanis absistere nescia poenis
 295 Tisiphone, contra reddens sic acriter infit :
 296 "Infelix soror ore furor quis tantus acerbam
 297 perniciem excidere atque Erebo contraria verba
 298 impulit ? Usque adeo ex nobis emergit inane
 299 consilium ? Quibus assiduus fraudesque dolosque
 300 patrandi labor in primis majorque nocendi
 301 cura sedet, magno sunt otia longa dolori,
 302 denique nos ne hominum poenis absistere victas ?
 303 Quid demum ? Infractum si vis superata relinquat
 304 nostra virum ? Quis non uni indulgere coactas
 305 censebit furias ? Ultroque exposcere pacem ?
 306 Haec tua post omnes solum sententia restat
 307 res penitus versas nec adhuc in vertice summo
 308 stat jactura, nec infernis de viribus actum est.
 309 Perdidimus nihil : ex medio non palma relata est,
 310 dum certare datur Martemque ostendere dextra.
 311 Hactenus ut fuerit labor, esto semper inanis,
 312 illa vel illa dabit quod forte volubilis aetas
 313 haec negat, immotum nec habet fortuna tenorem
 314 vincendi facilem, quae non sperabitur hora
 315 afferet ipsa viam et voti nova commoda nostri.
 316 Non cessare via in media licet, ipsa quietem
 317 invalidam fugi ; hinc ingentem evertere famam
 318 invisum capitis prona qua possumus arte
 319 urgendique modum facilem (ut reor) omine fausto
 320 inveni tandem, repetens "advertite" dicam.
 321 Rex bello regnisque potens Lodoicus honores

322 immensos superis aequat victricibus armis
 323 extendens late terras sua sceptrum per omnes,
 324 quem petere insidiis gravibusque incendere telis
 325 incautumque decet rapidis agitare colubris
 326 atque odio et caedis rabie faciemus et ira
 327 ardere ; hinc nostrum delator crimine falso
 328 conatum indiciisque novis incoepa juvabit.
 329 Nunc ergo ad saevum congesto robore regem
 330 festinemus iter, certandum est omnibus una :
 331 ille viri ut laetis citius successibus obstet."
 332 Dixit, et hoc animis placuit furialibus atrum
 333 consilium ; accingunt hydris sua tempora circum
 334 horroremque ferunt junctae, furor omnibus idem.
 335 Jamque ibant omnes una regemque petebant ;
 336 et medium Pratum, atque haerbas calcare virentes
 337 conatae et caecos circum diffundere nimbos.
 338 Ecce autem Stygiis propere sese obvia monstris
 339 obtulit armipotens nivea Tritonia palla.
 340 Aegidaeque atque hastam et clipeum cum Gorgone portans
 341 Eumenidasque jubet properantes sistere coram
 342 et poenae cumulum saevosque audire dolores.
 343 Mox immensam oculis iram et memorabile numen
 344 ostendit vultuque expromit dicta verendo:
 345 "Vos noctis crudele genus quo dira nocendi
 346 impellit rabies ? Facinus mens semper acerbum
 347 saeva gerit, nec me fugiunt fraudesque dolique
 348 ingentem nostrum quibus exspectatis alumnum
 349 perdere surgentemque polis evertere famam,
 350 quem telis tegimus numquam delere potestis,
 351 corruet ars, odium, livor, dolus, impetus omnis
 352 virtutisque nocens casu quatietur acerbo
 353 consilium ; sceleri semper gravis exitus haeret,
 354 aerumnis crescens superat discrimina virtus,
 355 crimine vestra fovens delator coepta juvabit
 356 sed cadet in cassem et propriis delebitur armis,
 357 et verum simul et mendacia proferet aetas,
 358 irarum stimulo raptus Lodoicus inani
 359 rex fremet offensusque odio fervebit ; at illum
 360 migrantem ex terris cernet caelumque petentem
 361 quinta dies : en jam periit pars maxima vestri
 362 Consilii nec summa viri speranda ruina
 363 sic fuit : ipse deus votis occurret iniquis.
 364 Jane novos hominum vulgo plaudentibus auris

365 sumentem fasces magnique insignia regni
 366 Franciscum meliore tuo spectabis in ortu,
 367 spesque altas secum praesenti sorte gerentem,
 368 cujus non potis est dotes expromere quisquam
 369 ingenuas satis atque animum illustrare virilem.
 370 Altius elatus toto supereminet omnes
 371 vertice et obtutum forma et speciosa juventa
 372 illecebris fovet atque ingens decus ora serenat.
 373 Non frustra aggreditur juvenis fortissimus hostem,
 374 seu pedes aut eques armatus, non cedit Achilli
 375 Hectore non minor, aegidaque atque Hercule magno
 376 viribus et bello prior atque insignibus armis.
 377 Gallorum ostendet vires et Gallica regna
 378 tollet in immensum et notum super aethera nomen.
 379 Tantarum molem rerum regisque verendum
 380 obstupet adventum signis exterrita tellus,
 381 quae rapido Oceanum cursu Titana petentem
 382 linquentemque videt calidis quae solibus ardet,
 383 quae jacet Arctoi gelido sub sidere caeli :
 384 aethere quae medio fruitur, nova funera cerno
 385 Turcarum et largo spumantem sanguine Nilum
 386 Euphratemque simul, Solymorum sede recepta.
 387 Non tantum populos, reserat qua lumina Phoebus,
 388 Emathiae rector ferro permiscuit olim
 389 non dextra Aeneadam terris victricia late
 390 arma licet tulerit latumque subegerit orbem,
 391 Europae atque Asiae domitor crudelia bella
 392 exstinguet, dulcesque animos mentemque benignam
 393 accipiet legesque dabit mortalibus aequas
 394 humanumque genus composta pace fovebit :
 395 perferet exitium saevus furor, aurea proles
 396 surget et immensus passim laetabitur orbis.
 397 Verum (ut coepta sequar) laetis quo ceperit astris
 398 primo sceptrum die, Antoni celeberrima gesta
 399 virtutesque ipsas propius consultaque corda
 400 respiciet, cui celsa libens discernere rerum
 401 iudicia et clari tractare negotia regni
 402 consilio dabit et magni rata reddere jussa
 403 Principis, et tabulis affigere signa probatis
 404 regia Galligenumque statum componere lege.
 405 Hic primum Franca colitur regione secundae
 406 majestatis honor retinetque in vertice sedes
 407 et loca magnanimo constant quae proxima regi.

408 Praeterea eventus (referam non vana) futuros
 409 et vestros animos odio graviore coactos
 410 amborum in caedem et nixum sine more procacem
 411 expediam, ac vestra quaesitos arte tumultus
 412 mens adeo vobis petulans : regemque virumque
 413 vertere semper erit, famamque abolere perennem.
 414 Helvetios bello genus atque insignibus armis
 415 indomitum Insubriae latos invadere fines
 416 agmine cogetis clarasque effervere in urbes ;
 417 fortior at contra congestis viribus ibit
 418 Franciscus, magnis quatientur motibus Alpes.
 419 Undique jam geminas acies concurrere telis
 420 funeribusque horrere agros et sanguinis unda,
 421 ac simul ancipiti video contendere palma
 422 aequalemque pari stragem committere dextra,
 423 ni subito in saevos dictis Antonius hostes
 424 nunc hos increpitans, nunc illos excitet ultro
 425 in belloque mori patriae pro jure tegendo
 426 perpulchrum ostendat, prolemque domumque tueri
 427 et solam ferro partam exspectare salutem.
 428 Immo ille invadet cuneos et Marte secundo
 429 irruet, atque atro miscebit pulvere campum.
 430 Talibus incensi solvent hostilia Franci
 431 agmina et invicti posita formidine vertent :
 432 sic instante viro, atque inimica gente perempta
 433 inclyta Francisco cedet victoria regi.
 434 Ordine cuncta loqui longum est : sunt plurima quae non
 435 promere fata sinunt nec vobis noscere fas est,
 436 ne toties quantos mortalibus afferet usus
 437 commemorem : dictis demum postrema revolvam.
 438 Vertere dum morem in melius pacemque parabit
 439 quaerere consiliis inimicaque frangere corda,
 440 ignavum verique expers, et mobile vulgus
 441 quis modus in rebus, liceat quo foedera pacto
 442 tractare ignorans, vestris rapietur acerbis
 443 ignibus et vana penitus vexabitur ira
 444 funestis incensum odiis ; opprobria reddet
 445 pro meritis livor turbasque virum inter inertes
 446 exagitata malis perdet sua lumina virtus.
 447 Ipsa odium atque iras odiosaque murmura frangam
 448 virtutique dabo lucem et caligine solvam
 449 submersas hominum mentes : mirabitur olim
 450 et decus et studium nostri gens omnis alumni.

451 Quid saevas jactare faces, quid profuit hydros ?
 452 Livoris stimulis et magno gloria nixu
 453 illius evadet major perque omnia terris
 454 omnibus elatum referetur saecula nomen.
 455 Ad caelum famam extollit, dum saepius atram
 456 invidiam atque odium saevum penitusque severam
 457 vim patitur probus et multo discrimine semper
 458 fit magnum virtutis opus lateque per omnem
 459 optima multiplici casum sudore parantur.
 460 Aerumnis super astra tulit gravis ira novercae
 461 Alciden, cujus vestigia rara secutum
 462 omnibus Aegiden notum fecere labores ;
 463 cum sociis vectus per multa pericula cymba
 464 Aesonides canitur, belloque immitis Achilles,
 465 inclyta gesta cavis educit fama latebris.
 466 Ite igitur nunc o pestes procul ite nefandae,
 467 horrendum dictu quod nondum emisit Orcus
 468 ocus arripite, et monstris superaddite monstra,
 469 insidias luctusque graves et funera multa ;
 470 maeroremque viro et duros cumulate labores,
 471 ejus ut immensis tollatur gloria factis
 472 ad caelum, crescantque simul per saecula laudes.
 473 Talibus increpitans dictis ventura canebat
 474 successusque viri Pallas regisque futuros.
 475 Vocibus abstinuit demum, et rapida ora repressit.
 476 Tristibus Eumenides turbatae pectora verbis
 477 ingeminant subito curas saevumque dolorem,
 478 infensamque deam quatientes motibus alas
 479 effugiunt versoque volant per nubila tergo.
 480 Ceu silvis armenta lupi per prata relictis
 481 nubibus obtecti et caecae caligine noctis
 482 invadunt, rapido pastor latrante molosso
 483 jam funda instructus sudibusque exclamat : "At illi
 484 optatam linquunt praedam saltusque requirunt."
 485 Exin per tenuem incedit dea laetior auram
 486 armipotens aptoque gradu spatiatur eundo
 487 tractibus aethereis clarique cacumina montis
 488 celsa petit, pulsus illic patet undique caelum
 489 nubibus, et posito lucem sol explicat aestu
 490 purpuream, ac spatiis vertex protenditur amplis
 491 nec sacri fontes, viridis nec deficit herba
 492 mollibus in pratis, caelesti gramina laeta
 493 semper rore natant. Superant nova pascua semper,

494 detegit arbor opes, flores nemus inter opacum
 495 albescunt, locus ipse suos miratur honores.
 496 Pan Satyrique absunt et rustica numina Fauni.
 497 Non hoc immanes Proteus in vertice phocas
 498 servat, non pecus ingentes custode per herbas
 499 errat Aristaeo, aut stabulum sub nocte requirit.
 500 Sed Jovis ipse gregem divinus nectare pastor
 501 pascit et ambrosia, atque oculis observat acutis.
 502 A Prato Thomas, tali quo dignior alter
 503 non fuit officio, sacris non aptior aris,
 504 ille colit divos, divis solemnia reddit,
 505 saepe novat cultus : pecudum non caede, sed ipso
 506 farre litat, precibusque piis sanctoque Lyaeo,
 507 fortunamque parem sequitur retinetque labori ;
 508 et Stygios de monte lupos extrudit ad imum,
 509 quos circum, supraque levem volitare per auram
 510 praedarum perquam cupidos circumque vagari
 511 per silvam horrendam, et caecos diffundere nimbos,
 512 et pecori insidias cernes letumque parare.
 513 Stat contra speculaque sedet sublimis in alta
 514 prospiciens custos fauces saltusque malignos,
 515 perniciemque gravem et fraudes avertit iniquas,
 516 ni faciat pastus et saepta gregemque nefandi
 517 dispergent diroque petent simul omnia leto.
 518 Sed divum atque hominum rector mortalia volvens
 519 infirmo generi vires in monstra ferarum,
 520 pastoremque dedit, crebris qui providus obstet
 521 insidiis pastosque greges in tecta reducat,
 522 et domino numerum referat jam sole cadenti,
 523 quem sic aggreditur dictis Tritonia Pallas :
 524 "Divini pecoris custos divine volutes
 525 quo munus sublime geris discrimine rerum ?
 526 Circumstant hostes : non sunt sine numine divum
 527 hae tibi tractandae partes, pro viribus ultro
 528 certandum est : Deus ipse animum viresque secundas
 529 sufficiet, tua lapsa polo sapientia multa est,
 530 tu clipeum atque hastam et ramum vivacis olivae
 531 accipe : tutus eas per mille pericula contra.
 532 Talibus armipotens succosque per omnia late
 533 ambrosios spargit, divumque aspirat odorem
 534 arma oleamque viro linoquit : Pratumque revisit."